

2083.
furtis sit diversitatem quandam in tactu, & quod illorum contrectatione tactus non ita immutetur, sicut immutari solet, cum corpora hominis contrectantur, cui rei indicio esse potest locus jam ex Luc 24. 39. citatus. Et quia Angelorum corpora adsumpta non constant carne & ossibus, sed ex aere condensatio confecta sunt, quæ etiam Angeli non ut formæ informantes actuant & informant, sed saltem extrinsecus adsistentes regunt, res ipsa loquitur, quod vitâ careant corpora, in quibus Angeli apparent. Et quia viventia corpora non sunt, etiam operationes vitales in illis exercere non possunt, & proinde nec generare, nec comedere possunt. Quod si autem contingat, ut Angelo malo tribuatur congressus cum muliere & generationis actus, impropriè talia ipso tribuentur, non quod Angelus in adsumptio corpore possit producere semen vitale, sed *ex mente quorundam* forsitan semen virile aliunde arreptum ad generationis locum destinet & generare dicatur, in quantum semen virile, cui vis generandi inest, ad uterum transmittit, & sic agentia patientibus applicando, ut generatio fiat, efficit. Neque etiam proprie comedere possunt Angeli in adsumptis corporibus. Quamvis enim cibum quandoque assumant, non tamen eum digerunt, concoquunt, & in substantiam corporis adsumpti convertunt, quod ad manducationem & quæ eam consequitur, nutritionem propriè requiritur.

§. 22. Dicis: Gen. 3. Angelus malus apparuit in corpore solidò nempe in corpore serpentis, falsum est, quod corpora, in quibus Angeli apparuerunt non fuerint solida. Respondetur, cum dicitur corpora ab Angelis assumpta non fuisse solida, sed rariora, id est intelligendum de illis corporibus, quæ ab Angelis fuerunt adsumpta ideò, ut scilicet in illis se manifestarent hominibus; cum autem
Gen.